

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

X.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

eam clementer plantavit, ita etiam tua aliorumque piorum ac fidelium ministrorum opera clementissimè, sit rigaturus, & incrementum daturus felicissimum. Nec dubitamus, quin quod per Esaiam DOMINUS toti universali ecclesie misericorditer promissit, id vestra etiam particulari ecclesie Argentinensi verissimè sit prastiturus: Ecce, inquit, in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Venient & accelerabunt structores tui, destruentes autem te, & dissipantes, à te exhibunt.

Hæc nos duo brevibus ad te scribere voluimus, Domine ac frater in Christo colende, cum ambo concionatores aulici peregrè abessent, M. Balthasar cum Illustrissima Ducissa in Thermis Helveticis; D. Osiander in comitatu Illustriss. Principis, qui per Onoltzbachium transiens ad nuptias Heidelbergenses proficiscitur. Scripsissem ego Brentius seorsim peculiare literas, nisi gravis mea senectus me à scribendo retraheret. Itaque habebis me excusatum: & Collegas tuos fratresque in Domino peramanter & officiose nostro nomine salutabis. Bene ac feliciter in DOMINO vale, frater in Christo charissime. Stutgardie, ultimo Maii, Anno M. D. LXX.

Tua Reverende Dignitati

Studiofissimi, & ex animo fratres

Jo. Brentius.

Wilh. Bidembach, D.



X.

S Negotium Illyrici quod commendas, Vir Reverende & charissime frater, cordi est mihi & collegis, & ut non profus desperamus: ita nec certi sumus de eventu, propterea quod multorum suffragiis hac de re decernendum sit, hoc est, per senatum, ex viris sexaginta quatuor constantem, & quia Illyricus, vir optimus non vellet in incertam spem quicquam tentari, ne, si minus succederet, quod velimus, & innotesceret vestris (quod clam esse nequiret, siquidem toti senatus confessui proponeretur,) fortè repulsam passus, ingrator deinceps vestris fieret. Quare visum est illi suscipere professionem Lindavium, ubi septimanis puto aliquot hærebit. Nos interea dispiciemus, si quid auspicati consilii Dominus dederit, qui viro de Christi Ecclesia præclare merito studio & opera commodare ex animo cupimus & debemus. Deploramus autem vehementer tam pertinacem ab Electore in onginquas etiam regiones insectationem institui. Unde conjicere licet, quam

quam duriter agatur in propinquos, & dominio subditos, si qui sint, qui doctrinam eandem Christi profiteantur. Heydelbergenses nuptias audimus frequentissimas esse, in quibus utinam non extrema gaudiorum luctus occupet, minus autem frequentia imperii comitia fore auguro, principibus non præsto futuris, nisi paucis fortè, ac fortasse idipsum efficiet, ut minus de Illyrico nostro in quæstionem veniat, & scriptum, quod exhibere comitiis decreverat, fortassis tum demum proferendum sit, ubi intelligatur aliquid de ipso actum iri, idque in nonnullis locis pauld moderatius, quod per collegam fratremque Coccium & me indicabitur, ubi ex Lindavio ad nos fuerit reversus. Speramus autem, Dominum daturum, ^{recedit} hoc dissiptur, inque auram abeat tenuem, si quid tamen durius tentabitur, iteram viam expediet Dominus, ut sine bono terminetur. Verum hac de re plura ad te, ubi huc redierit. Allobrogum Dux crastina die fædus cum Bernatibus jurabit, quocautum est etiam Genèvevatum securitati. De Gallia certi nihil constat, tu, si quid habes, cum de ejus statu cum de comitiorum imperialium progressu, quæso significa & benè vale cum uxore, filiis doctissimis juvenibus & collegis ornatissimis: item viris, D. D. Carolo Muey, Grempio, quibus cupio salutem dicas meis & collegarum meorum verbis amanter & reverenter. Scripsi Basileæ, 11. Junii, Anno 1570.

R. D. T.

Totus

S. Sulcerus.

XI.

S Cum à nobis, pater reverende & præceptor colendiss. D. D. Marpachi. Sabiret celeberrimus vir, D. Illyricus, petivit, ut suas supplicationes atque vasculum pauco butyro repletum, ad te transmitterem, quod per hunc nautam facio. Cui ut aliquid solvas, necessum non est, quod ego precium dederim, modo Illyrico reddi cures omnia, satis est. Porro eo ipso die, qua navi concessa ad vos descendit, adfuit eques ab Electore Augusto, qui secundam accusationem, priore similem offerret Senatui nostro, simulque tradidit apologiam libro impresso comprehensam ministrorum Saxonicarum Ecclesiarum. Ex castris Amyralii narratur, diffluere peditatum, ob ^{reversus} victus & nervum belli, equites verò totos incendiis deditos. Utinam tandem pax cum Ecclesiis tum Rebuspub. perturbatiss. restituarur, ne historicis, sicut Theodoritus

S f

loqui-